

enim ad unam summam redigantur quæ per eam occasionem profusa ab Aristæa narrantur, profectò non minor constabit quàm ultra 1200 talentorum, nempe 3,325,600 librarum, pro singulis talentis Ægyptiis 2,688 libris computatis: intolerabilis est etate etiam pro rege Ægypti profusio. Adde versionem Græcæ sacrerum librorum ante Cyri et Persarum regnum nulli bono futuram; neque enim sive Judæorum ultra Euphratem sive in Ægypto versantium usui fuisset; neutri enim Græcæ linguam callebant; Græcum enim cloquium in illis regionibus non nisi post Alexandrum, et imperii Persarum eversionem obtinuit. At enim valebat pro Græcis sub Cyro in Asiâ Minori dogentibus? Esto, sed quibusnam argumentis laboratum esse pro illis demonstratur? Quin et Græci illi si quando in

suam linguam translato sacros libros habuissent, nunquàm sanè querendos illos in Ægypto susceperunt; neque et ignoratione rerum Judaicarum tenerentur, ut ne nominis quidem illorum in suis operibus meminissent. Fabulam planè sapientem ea quæ de ultione divinâ in Theopompum, et Theodectum, quædam de sacris libris scribere in suis operibus tentantes, ab Aristæa referuntur. Est igitur dubitandi locus, num philosophi Ptolemæo Philadelpho vetustiores de lege Dei divinisque Scripturis aliquid noverint; vel si quid audierant, id sanè leve admodum et confusum potius ex relatione et consuetudine cum Hebræis, quàm ex lectione eorum librorum deductum credunt. Hæc, quantum sapimus, probabilissima de quæstione hæc ambigua dicenda suppetebant.

DE GIGANTIBUS

Dissertatio.

Og solus remansit de stirpe gigantum.
(Deuteron. 5, 2.)

In totâ antiquitate maximè celebres gigantes habentur, quippe quibus testimonium ferunt poætæ, historici, et quæ sacri, quæ profani scriptores; omnium denique seculorum traditio, cum vetustissimis regionum monumentis, unâ omnes voce prædicantes viros, qui immani corporis et virium habitu, tum et coeporum audaciâ longè latè quæ sui nominis terrorem intulerunt. Ut autem insitam habent homines in res novas propensionem, magnis majora libit adicere, non poætis tantum, sed et historicis non rarò adeo rem per se miram exaggerantibus, ut justos rei limites præscribere, et verâ à falsis discernere, operis sit non exigui. Nec minus est laborandum, si quis velit ad fidem inducere suspiciam quædam ingenta, quibus errandi timor satis est cause, ut credulitatem suam erga res insuetas et à nostris tractu certisque familiis frequentius, quàm alibi prodierint, ut certum genus et peculiaris gigantum regio possit assignari.

Inter eos, qui gigantes extitisse negant, non satis convenit. Assertit Josephus lib. 1 Antiq. c. 4, angelos plures ad filias hominum acc-

1º Gigantum nomine non viros tantum intelligimus, qui procerioris corporis staturâ cæteros regionis suæ viros non digiti solum vel etiam semipedis aut pedis mensurâ superant, plures enim in mundo ejus generis occurrunt; sed viros designari arbitramur, nostræ ætatis homines pedibus nonnullis, vel etiam duplo, triplo, quadruplo justam staturam quinque pedum et semis excedentes. 2º Neque id nobis querendam, an plurium seculorum successu contigerit aliquando, ut naturæ quodam nisu gigantes prodierint; quemadmodum interdum monstra et pumiliones spectantur, quorum singuli successione carent. Sed illud discutimus, an vetustissimâ ætate ante diluivum, et dñi etiam post, satis frequentes homines occurrerint justâ hominum nostræ ætatis staturâ multò superiores; qui in certo quodam regionis tractu certisque familiis frequentius, quàm alibi prodierint, ut certum genus et peculiaris gigantum regio possit assignari.

Inter eos, qui gigantes extitisse negant, non satis convenit. Assertit Josephus lib. 1 Antiq. c. 4, angelos plures ad filias hominum acc-

sisse, eorumque commercio natos viros impotentis audaciæ, qui viribus valentes nihil sanctum habebant, eoque aggressi sunt, quæ de Titanibus poætæ commissantur. Gigantum ergo nomine designari credit Josephus viros audaciâ impotentes. Aliquis fortè putat, ait Philo de Gigantibus, p. 292, quæ poætæ de gigantibus fabulantur, hic legislatorem subdicere, cum hæc immensam distent à fabulis. Nullam de gigantibus affert fabulam, sed illud se docere vult, eos venari voluptates corporis, et harum usum fructum, querendo singularum materiam. Ipse idem Philo de turri Babelicâ à gigantibus edificatâ agens, tradit paganos cum hæc legerent reclamasse: Ecce sacri, quos vocatis, libri fabulas continent, quales aliis referentibus irridere soletis. Simillimo enim ausu gigantes ædificationem turris aggressi narrantur, quo de gigantibus Pelion Olympo et Ossæ superimponentibus ad cælum obsidione tentandum fabulosa vetustas commenta est. Universam hæc historiam Philo ad allegoriam referendam contendit, autamans, sub allegoriæ hujus ambagibus hominis impij adversus Deum audaciam, et proterviam exhiberi. Nulli erant ergo huic auctori sive anti, sive post diluivum gigantes.

Persuasum pariter fuerat Origeni, gigantum nomine non viros corpore immanes designari, sed scelestissimos quosque, impios, atheos, et hujus farinae homines, quibus nulla de Deo, hominibus, et justitiâ, est cura. Malunt alii cum Eusebio Casariensi Præpar. l. 5, c. 4 et 5, gigantes apud Moysen ipsissimos esse demones, quorum adversus Deum pugna in gigantum et Titanum adversus deos fabella describeretur. Exequemur inferiis veteris illius opinionis originem, quæ gigantes è demone parente accersit, quia et ipsas gigantum animas in censum malorum spirituum refert. Quam tamen opinionem cave ne cum alterâ gigantes proorsis subducente confundas; illa enim à communi omnium sententiâ in eo tantum recedit, quod de gigantibus illis in libro Henoch legit, ad patres demones cum filiabus hominum ante diluivum commixtos esse referendos; cum interim contraria gigantibus opinio librum illum penitus ad fabellas rejiciat.

S. Chrysostomus in Gen. hom. 22, tenet, gigantum nomen exprimere in Scripturâ viros corporis robore et staturâ immanes; quorum in censum hom. 50 in Gen., refert Nemrodum, virum, ut habent Septuaginta, gigantem. Pro-

fectò hebræum *Gibbor*, quem gigantem reddunt, sonat ad litteram virum fortem, et impotentem.

S. Cyrillus Alexandrinus ad imperatorem Julianum respondens, lib. 9, insinuare videtur, gigantes monstros similes viros esse, quos quidem proceritate corporis et robore reliquos vulgò homines superare potuisse credit; sed multum concedere gigantibus illis, poætarum carminibus celebratis, quos ferunt ex ipso maris sinu insulam manu avulsam contra cælum ejaculatos. Sunt igitur, ait, Scripturæ stylo gigantes viri fortes et audaces, ore terribiles, et monstro simillimi, quos vindicis numinis ira effudit, atque malè affecta parentum phantasia formavit. Non inviti credimus, has Patrum interpretationes expressisse necessitatem nominis gigantum, ne fortè nominis similitudine cogenter in Scripturâ viros agnoscerent eadem corporis immanitate, quæ apud profanos poetas gigantes.

Gigantes apud Stoicos in eodem ordine cum centauris aliisque monstros, errantis phantasiæ ludibrio efformatis, habentur. Centauri gigantes, et quidquid aliud falsâ cogitatione formatum, habere aliquam imaginem copit, quæ quavis non habeat substantiam, ait Seneca Ep. 83. Totam illam de gigantum aversus deos expeditionem fabellam ad allegoriam detraquens Cicero de Senect. significari tantum credit passionum adversus rationem et naturam certamen. De gigantibus hæc Macrobius Saturn. lib. 1, cap. 20: Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quædam impiam gentem, deos negantem, et ideo existimatam deos pelere cælesti sede voluisse?

Scriptores quidam rerum naturalium cum in animum inducere non possent, natos unquam in rerum naturâ viros, quales describunt gigantes, suspicati sunt, ea omnia, quæ de gigantibus in cælum arma inferentibus narrantur, de ventorum quodam spiritu, quo terræ viscera concutuntur, exponenda fuisse. Vim enim inferunt venti, ut è terræ carcere liberati per apertum arena exspatiuntur, ejus libertatis amore mirum est quanto impetu montes disjiciant; excitant non rarò ignes, lapides longè ejaculantur, specie quasi in cælum protrudant. Tunc Jupiter, i. e., cælum et aer, fulgurâ in illos et imbres demittit, quibus pacantur omnia, ventorum impetus comprimitur, subterranei ignes extinguuntur, vel saltem ita cohercentur, ut exterius non prodeant. Hinc nata fabella,

Jovem deiecit gigantes, quos sub montibus Aëna et Vesuvio, veluti grandi pondere, quo se relevare quandoque nituntur, oppressos detinet. Ex eo gigantum nisu intima illæ terræ succussiones, et ignes, quos dato temporum intervallo evomunt montes. Nihil hic non physicum et naturæ legibus consonum.

Nec figura ipsa gigantum apud poetas sua caret allegoriâ. Ita de illâ Ovidius Fast. l. 5, v. 15:

Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues.

Manus robur designant, angues inconstantiam, et anguim spiræ dolum ac tortuosam hominum nequitiam (vid. Macrobi. loc. cit.).

Plus aliquid vident alii philosophi, defendentes, non tantum gigantes nunquam in rerum naturâ spectatos fuisse, sed nec spectari unquam tam immani corporis staturâ viros potuisse. Certam enim rebus quibusque staturam præscripsit naturæ auctor, quam prætergredi nunquam eadem natura permittit. Nihil in universo extra legem et mensuram, cujus harmoniam gradus aliquis si rebus addatur detrahaturque, corrumpit. Certa in astris motus mensura, sua etiam in aere, in aquâ, nec incerta pariter in terrâ, quæ si præscriptas sibi leges prætergrediatur, statim actum est de animantibus, de plantis, de arboribus. Hominis statura æquè respondet gradui, sive motui frigoris et caloris, quo terra tenetur. Plantæ quibus alitur, aer quo refrigeratur, animantia quibus utitur, homini creantur, ejusque, ut ita dicam, naturæ ex æquo respondet. Si corporis ille staturâ cresceret decreceretque, tota illa harmonia dissolveretur, atque tota corrumpere universi elegantia. Nullibi ergo usquam fuerunt gigantes, vel si quos fortè exstitisse dixerimus, aliam statumus, quam nunc sit, mundi naturam oportet, alium assignemus terræ locum in universo, aliam indolem aeri, aliam elementis, astris et plantis.

Quæ nunc est natura nunquam satis eniteretur, ut gigantum cederet. Quis autem credat aliam fuisse olim, ac modò est, naturam? nec sanè adeò dissimilis fuisse unquam potuit, quantum debuisset, ut gigantum efformaret. Nunquam ergo gigantes prodixit.

Vetores illi, qui vulgari majorem staturam primis illis hominibus concesserunt, multum tamen absunt ab immani illâ proceritate, quæ de gigantibus prædicatur. Habent enim persuasum, hominis staturam, ut longius non ultra septem altitudinis pedes (1), quos Herculi as-

(1) Solin. Polyhist. cap. 2. Vide et Varro.

signant, assurgere potuisse: « Licet plerique definiant, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quod intra mensuram istam Hercules fuerit » (Salmas. in Solin. p. 3, edit. 1686). Hanc mensuram si quis subinde viri excesserunt, uti Orestes, vir septem cubitis, sive decem altitudinis pedibus non impar, et Pusio ac Secundilla, quos ultra decem pedum staturam immanes Roma sub Augusto spectavit, exceptiones sunt hæc regule communis, et monstri quidam naturæ factus, ex quibus nihil inferas pro reliquis.

Si naturæ senescentis vitio homines imbecilliores essent, quâ staturâ, quâ viribus, quam olim fuerint, statureremus etiam oporteret, naturam in eo consistentiæ statu jam inde à pluribus seculis mansisse; cum jam inde à tribus annorum chiliadibus factum sit, ut staturæ hominum nihil addatur decrepaturque. Quare nunquam per nos admitteretur veterum illud: *Cuncto mortalium generi minorem in dies mensuram fieri propemodum observatur* (Plin. lib. 7, cap. 16). Multum ætate suâ decrevisse hominum staturam præ veteribus hominibus, Homerus deplorat (Iliad. 7).

Nam genus hoc vivo jam decrescerebat Homero, ait Juvenal. sat. 15. Ejus rei causam refert Plinius ibid. ad ignem illum, quo tandem mundus in cinerem favillasque redigetur, paulatim absumentem radicalem humorem, vitam hominum alentem. Factam inde, ait, « raros (esse filios) patribus proceriores, consuetudine ubertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergit ævum. »

In eandem sententiam concedens auctor quarti Esdræ scribit cap. 5, v. 51: *Interroga quæ parit, et dicet tibi. Dices enim ei: Quare quos peperisti, nunc non sunt similes his, qui ante te, sed minores staturâ? et dicet tibi et ipsa: Alii sunt, qui in juventute virtutis nati sunt; et alii qui sub tempore senectutis (naturæ), deficientis matricis, nati sunt. Considera ergo et tu, quantum minori staturâ estis præ his, qui ante vos.* Lucretius philosophus Epicureus ita mentem suam hæc de re prodit lib. 2:

Jamque adeò fracta est ætas, effluoquo tellus;

Vix animalia parva creat, que cuncta creatis

Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Repugnare quidem ista sententiæ gigantibus adversæ planè videntur; sed bonam causam non bonis argumentis tuentur. Si enim

apud Gell. lib. 3, cap. 10: *Varro modum esse dixit summam adolescenti humani corporis, septem pedes.*

naturæ senescentis agridudo tanta erat jam inde à Moysi, nempe 2,500 annis post orbem conditum, vel ab Homeri saltem ætate, nempe mille solidis ante Jesum Christum annis, ut nullis adhuc gigantibus sufficeret, quò deinde pervenisset evolutis adhuc 5,718 annis, quot ab ætate ad nos usque fluxerunt? Ad pygmæos profectò redactos jam homines spectaremus.

Addunt (1), nonnisi monstra habendos fuisse homines, quos justè nunc staturæ existimamus, siquidem proceræ corporis habitudo speciosior esset, et naturæ hominum magis conformis, tunc enim omnes gigantes nati fuissent. Nunc verò contraria omnia; homines enim vulgò ejusdem erant olim et modò staturæ; ac gigantes tanquam omnium ætatum monstra perinde habitus sunt. Statuendum est igitur, quemadmodum monstra rara sunt, et extraordinaria, ita pariter et gigantes vel nunquam paruisse, vel si rari interdum prodierunt, errori id naturæ præscriptas sibi leges nonnunquam transgressæ, vel saltem virtutis suæ specimen dare volentis conatu deputandum.

Quinam ergo gigantes Scripturæ? Homines reputat Philo terrenos, voluptuosos, terræ filios, atheos, Dei adversarios acerrimos. Homines vitæ turpitudinis et morum deformitate monstrosos censet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9 cont. Julian. et lib. Claphyr. 2, in Gen. Homines ad longissimam ætatem vitam prorogantes Diodorus (2).

Franciscus Georgius (3) habet quidem persuasum, vires illos staturæ proceritate supra cæteros assurrexisse; sed æquè censet, factus illos habendos non humani alicujus conjugii ex feminâ et mare, sed dæmoniâ, ex dæmone nempe cum feminâ. Quis enim credat, ait ille, homines naturæ leges staturæ proceritate adeò transcendentes naturâ agente in mundum venisse? Superat opus illud naturæ vires; quare post devictum à Jesu dæmonem, redactumque in ordinem, ne potestate suâ deinceps abuteretur, nuspiam in mundo gigantes visi sunt, quòd scilicet dæmoni libera amplius non esset, uti prius, facultas cum feminis coeundi.

Stephanus Golar apud Photium cod. 252,

(1) Vide Tostat. in cap. 11 Deut. q. 2: Boulduc. Eccles. ante legem lib. 1, cap. 7, 8.

(2) In Catena. Quidam apud Theodoretum quæst. 48 in Gen.

(3) Tom. 1 Problemat. 74, 75, apud Sixt. Senecus. Biblioth. sacr. lib. 5, annot. 51.

pag. 898, rem tractat problematicè; perduelles angeli, cum in terram descenderent, inito cum feminis connubio, gigantes generent. E gigantibus cum brutis coeuntibus nata hominum monstra, et sexus utriusque dæmones. Seu potius angeli illi perduellionis rei, qui nec carne constarent, nec ossibus, cum ad filias hominum per se accedere non possent, impiorum hominum ad illas corrupendas ministerio usi sunt; vel tandem nec ipsi per se, nec alterius ministerio illas tentarunt.

Severi Sulpitii sententia (Hist. lib. 2), his verbis exprimitur: « Ex angelorum et mulierum coitu gigantes editi esse dicuntur; cum diversæ inter se tractatæ conjunctionis monstra gigneret. » Porro, si inter monstra rejiciendi sunt gigantes, nunquam satis frequentes fuisse oportet; rara sunt enim, utpote præter consuetas naturæ leges, monstra.

P. Boulduc, capucinus, in suo opere de Ecclesiâ ante legem lib. 1, cap. 2, 8, 9, et lib. 3, cap. 2, defendit, Nephilim, Raphaim, Zuzim, Enacim, Emim, Zomomim, quæ varia habentur gigantum sævissimum et immanissimum hominum nomina, nihil tale utique designare; quin potius virtute, sanctitate, animi magnitudine, constantiâ, ac bonis operibus gigantes. Nomen Nephilim, sonans eos qui cadunt, qui se prosternunt, inditum censet viris quibusdam piis, quòd assidui essent in precibus. Enacim vel torquem ferentes, equitum erat, institutus ab Abrahamo, quo tempore in Hebron morabatur, ordo: constabat autem viris per omnia singularibus, staturâ, divitiis, magnificentiâ.

Addit, gigantum nomen esse honoris, datum viris illis justis ante et post diluvium. Porro viri erant illi apud omnes spectatissimi, quos Moabitæ honoris gratiâ appellabant Emim, i. e., reverendos; Ammonitæ Zomomim, sapientes; Chananzæ Raphaim, restauratores; Syri Zuzim, illustres. Addit proinde, elogium illud Nemrodo datum à sacra Scripturâ, prohi loco ab interpretibus præpostere acceptum fuisse: *Venator robustus coram Domino*; signare hæc virum spectatæ pietatis ac sanctitatis. Docet tandem Boulduc, veteribus gigantibus sua fuisse in locis, quæ in sedem sibi constituerant, pietatis asecrteria. Hæc viri commenta refutavit anonymus in opere, quod nunquam videre mihi contigit, inscripto: *De Nephilinis, gigantibus vulgò dictis, exercitatio contra Jacobum Boulduc.*

Sententiæ illorum, qui gigantes negant, op-

ponunt veterem populorum traditionem, tenentem fuisse olim populos multo quam vulgari hominum nostrae aetatis staturâ proceriores, quorum ossa et olim et nunc etiam in dies inventa, rei experimentum futura, demonstrant. Sed vicissim ea populorum præventio et gigantum illa ossa videntur ab adversariis. Poetis obstetricantibus nati sunt gigantes, quos fabula nutriti, populorum credulitas fovit. Quæ gigantum ossa creduntur, ossa sunt reipsa sive ceti, sive elephantis, sive fossilia in terrâ naturalis igne concretæ. Hæc sanè opponit P. Kircherius, acerrimus, si quis alius, gigantum adversarius. Validissima sunt hæc pro sententiâ gigantibus adversâ argumenta; modò pro illis quedam.

Apud Moysen et sacros post illum auctores mentio inducitur non obscura de gigantibus, robore, coeptis, proceritate, expeditionibus, numero, et apud inferos supplicio notissimis. Frequentissimi erant ante diluivium, sicut et quo tempore turris Babelica construebatur: familiæ tandem quedam ad ipsam Moyses, Josue, imò et Davidis ætatem pervenerunt. Proferuntur ejus veritatis asserta, vetera, et certissima monumenta, non quidem ex poetis, ac subleste fidei auctoribus, sed ex Moysæ vetustissimo illo scriptore, cujus genuina citant volumina. Ferunt ejus rei testimonium scriptores sacri, vetus et constans populorum traditio, unde poetae historias illas de gigantibus derivarunt, quas commentis suis et fabellis in majus exaggerarunt.

Cum capissent homines, ait Moyses Genes. 6, 2, 3, 4, multiplicari super terram, videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum (i. e., intra hoc annorum spatium perdecens hominibus diluivium immittam). Gigantes (hebr. *Nephilim*) erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaque generant, isti (*Gibborim*) sunt potentes à seculo, viri famosi. Noti ergo erant *Nephilim*, i. e., gigantes, in mundo, antequam filii Dei, nempe è genere Seth viri, cum filiabus hominum, è genere nempe Cain, jungerent connubia. Vetus est traditio apud rabbinos, ac plures christianos scriptores recepta, Adam inter gigantes principem locum obtinuisse. Docent enim Hebræi, Deum semel invito consilio hominem formandi, ingentem terræ massam,

quæ vix intra totius mundi ambitum contineretur, sibi constituisse; quæ sanè terræ moles si extenderetur, ad firmamentum usque emiuisset. Cum Deus hanc terram in hominem effluisset, simulacro spiritum vitæ indidit; acutum Adam in pedes sese erexit; angeli ad insuetum monstrum pavescentes clamarunt: Domine Deus universi, sunt ergo geminæ in mundo potestates? Tunc Deus capiti novi hominis manu suâ impositâ, ita immanem gigantem compressit, ut ad staturam mille cubitorum tantum juxta aliquos, vel 900, ut fert aliorum sententia, vel saltem ducentorum aut trecentorum, quin et centum cubitorum juxta nonnullos, redigeret. Nec sanè minor exigebatur hominis statura, ut decerperet fructum arboris scientiæ boni et mali, cujus spectatissima erat et monstro similis proceritas.

Hæc de gigante Adami staturâ sententiâ arrisisse pariter videtur S. Hieronymo, verterente illud Josue 14, 15. *Hebron vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est; sed verti aliter potest Hebræus: Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; vir iste maximus inter Enacim; i. e., Arbe princeps est gigantum ejus regionis.* Idem S. Hieronymus in Questionibus hebraicis in Genesim, et in Locis hebraicis, v. *Arboy*, hanc opinionem confirmat. Tandem in epitaphio Pauli tradit, urbem *Cariath Arbe*, sive urbem *Quatuor*, nomen suum debere quatuor viris, Adam, Abraham, Isaac et Jacob: tum asserit Adamum ibi conditum esse, juxta libri Josue et receptæ apud Hebræos traditionis auctoritatem. Gemina sentiunt christiani quidam scriptores apud Bar-Cepha, et Joannes Lucidas.

Vetustiores diluivio homines justam hominum staturam plus nimio plerumque excedebant. Diluivii ætate superstitem legimus tenent rabbiui Og regem Basan, de quo legitur Deuter. 3, 11: *Solus Og rex Basan resisterat de stirpe gigantum.* In arcæ scelas, extra tamen, vel super ejus tectum, neque enim una est eâ de re rabbinorum sententia, sese recipiens rex illo aliorum interitum tuto spectabat, cibum interim sibi sufficiente per expressum foramen Noemo, cujus servitilis toto vite tempore sese mancipaturum Og sponderat. Porrò Og immanem corpore virum cum seculo Abraham non verbis tantum, sed factis etiam acrioribus castigasset, dentium unus ex ore viri excussus est, qui unus vel cubitibus nonnullis juxta quosdam, vel sellis juxta alios, materiam abundè sufficit.

Cum Og copias suas adversus Israelitas duceret, animadvertens hostilem exercitum spatio duarum leucarum extendi, montem æquè grandem in caput sum levavit, quo in hostium capita excusso, omnes uno ictu opprimeret. Accurrit promptè Deus, cujus operâ immisus vermiculus opportunè adèd montem, quo loco capiti gigantis respondebat, perferdit, ut super scapulas viri recidens, amplioris collaris speciem exhiberet. Tentavit ille è collo saxeam lorum reducere, sed ampliores viri dentes altè sese in montem insinuantes firmum retinebant. Opportunitatem nactus Moyses occurrit statim armatus ascia decem cubitorum; decem etiam cubitos altè saltavit, vir ipse duodecim cubitis procerus, quibus tamen omnibus adjumentis nihil aliud valuit efficere, quam ut talos adversarii pertingens mortis ictum infligeret. Hæc rabbiui, qui illud Deut. 3, 2: *Monstratur lectus ejus (Og): novem cubitos habet longitudinis, et quatuor latitudinis, de cunis infantis exponunt.* Ludibria hæc errantis phantasiæ non moramur; sed monstrari illis receptam apud Hebræos traditionem quis negat?

Nomen *Nephilim* (1), quod redditur gigantes, sonare potest ad litteram, cadentes, in alium irruentes, impetum facientes, veluti aves in prædam sese immittentes; item, qui alios evertunt, dejiciunt; vel tandem homines violentos, impotentes, audaces. Israelitæ post exploratam terram promissionis ad suos in deserto Cades restituti dixerunt (Num. 13, 34): *Vidimus monstra quaedam filiorum Henach de genere giganteo (hebraicè Nephilim), quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* En planè non obscurum testimonium de gigantibus, non raris illis, sed in gentem, et populum coalescentibus: *Omnis populus quem aspezimus, legit Hebræus, viri mensurarum sunt.*

Nomen *Nephilim* post Moysen nusquam legitur in libris sacris (2), cujus loco gigantibus designandis frequens est apud illos vox *Rephaim*, ne Moysi quidem ignota. Ait enim Moyses, Codorlahomorem, et federatos ipsi reges percussisse *Rephaim* in *Astaroth Carnaim*, Gen. 14, 5. Pollicetur Deus Gen. 15, 20, daturum se Abrahamo regionem *Rephaim*, quorum natio in Transjordanis. Og rex Basan solus remanserat

(1) נפילים *Nephilim*. Ag. immittores, cadentes, seu irruentes. Sym. gravi, violenti. Th. et Septuaginta, *verruis, gigantes.*

(2) Ezechiel 32, 20, 22, 23, 24, 27, ad *Nephilim* Moyses spectasse videtur, agens de virtutibus heroibus gladio interemptis, נפילים בידים.

de stirpe gigantum, Deut. 3, 2, Hebræus, *de stirpe Rephaim*, i. e., Moysis ætate gigantes fermè desiderant. Vir ille staturâ adèd erit immanis, ut eneum ejus cubile novem cubitis longum, quatuor latum, adhuc post plures annos in Rabbath metropoli Ammonitarum monstraretur. Reddunt novem cubiti pedes quindecim, digitos 4 ac semis, pro singulis cubitis, 20 digitis ac semis computatis; qui, si rectè supputentur, conficiunt hominis staturam triplò justo majorem.

De *Emim* populis ad orientem maris Mortui sermo est apud Moysen narrentem, permisso illos populos Moabitum, externio traditos fuisse. Potentissima erat et frequentissima natio, corporum proceritate spectabilis adèd, ut tantquam *Rephaim* et filii Enac haberentur. En alteram gigantum nationem ante Moysen exterminatam, cujus tamen memoria adhuc recens servalatur; constat enim Moabitarum patrem non nisi 325 annis ante Moysen in lucem editum fuisse, nec nisi saltem post 150 vel 200 annos adèd valere potuisse Moabitas, ut expeditionem in Emim susceperat.

Ammonitæ, Moabitarum fratres, circa idem fermè tempus gigantum *Zozomim* alian nationem aggressi sunt, Deut. 11, 20, 21. Porrò illi nec potentia, nec hominum numero, nec staturâ gigantibus è stirpe Enac concedebant. Eorum regio terra gigantum reputata est, et in ipsâ olim habitaverunt gigantes. Quare triplex gigantum natio in Transjordanis; *Rephaim* ad septentrionem, *Emim* ad meridiem, et *Zozomim* inter utroque mediis.

Erant etiam eis annem *Rephaim*, et quaedam ibi tenebant regionem Davidis ætate. Duo illorum genera distinguuntur, *Enacim*, filii Enac, sedes potissimum habentes in Hebron et adjacentibus regionibus; *Rephaim*, seu filii *Rapha*, in urbe Geth comorantes, quorum erat gentilis Goliath. Frequens in Scripturâ mentio *Vallis Rephaim*, seu *Vallis Gigantum*, satis proximè urbi Jerusalem, cui nempe valli nomen inditum, sive quòd olim gigantes suos habere illic sedes constitutas, sive quòd castra ibi non semel possessus in bellis Philistæorum adversus Judeos.

Meminit Scriptura 2 Reg. 21, 1, Paral. 20, quinque gigantum è stirpe *Rapha*, quos David ejusque commitiones in variis certaminibus interfecerunt; 1^o *Jesh-ben-Ob*, nempe Jesu filii Ob; 2^o *Saph* vel *Sapha*; 3^o fratris Goliath; 4^o gigantem illius, cujus singulæ manus pedesque sex digiti distinguebantur; 5^o tandem Goliath

à David obruncati, 1 Reg. 17, 4, cui viro Scriptura sex cubitos cum palmo, nempe 10 pedes, et 6 digitos altitudinis assignat; quot nempe duo proceri homines vix æquarent. Adversus hæc historica monumenta nihil excipendum. En gigantes, gigantum familias, civitates, populos: nec illi utcumque justam hominum staturam excedebant, sed proceritatis et roboris erant, quales ad virum pinguntur. Insinuatur etiam, multo auctiorem gigantum numerum olim fuisse, cum scilicet familie et integre illorum nationes exterminio traditæ referuntur.

Filiis Enac suæ erant sedes in meridionali Palestinâ constitutæ, Num. 13, 23, 24, 31. Enac tres olim fuerunt liberi, gigantes et gigantum patres, Achim, Sifai et Tholmai; proceræ adeo staturæ homines, ut comparati cum illis Hebræi locustæ viderentur; et Moyses non alia frequentiori phrasi immanes quosdam gigantes designet, quam pares illos affirmans filii Enac. Josue in Chanaanitidem ingressus omnes delevit Enacim urbium Hebron, Dabir, Anab, cæterarumque Juda et Israel; solos reliquit gigantes Gaza et Geth; et diu post gigantum sepulcra monstrabantur in Azoto, Jos. 11, 21, 22. Eorum ossa immania et supra fidem monstrata ætate suâ adhuc spectari affirmat Josephus, Antiq. lib. 5, c. 2.

Amos de expeditionibus Hebræorum in Chanaanitidem agens, ita loquentem Dominum c. 2, 9, inducit: *Ego exterminavi Amorrhæum à facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus; et contrivi fructus ejus desuper, et radices ejus subter.* Et Baruch 5, 26: *Ibi fuerunt gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt scientes bellum. Non hos elegit Dominus; quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Judith in cantico Dei laudes celebrat, quod non manu Titanum et gigantum, sed imbellis femine elegantis vultus illecebris pugnantis, Holofernem, tantum duces peremerit, Judith. 16, 8.

His documentis nihil addendum. Agit Baruch de gigantibus antediluvianis; Amos item de gigantibus Chanaanitidem ante Hebræorum ingressum tenentibus; describit autem gentes illas viribus, numero, et staturæ proceritate supra vulgarem cæterorum hominum valentes. Illos exterminarunt Josue et Caleb, genus impium, ut diutius in mundo persisteret, non ferente numine. Cum verò è re suâ homines universi censerent, si perniciosissima illa et impotentissima monstra deleterentur, non est

cur multum miremur, si post plura secula nullos tamen, ut prius, spectare contigerit gigantes; in unum enim omnes conspirarunt homines, ut perniciosum genus deleterent, quemadmodum in venenatis et perniciosis quibusdam bellulis factum pariter constat, quod ita extinguerentur, simul ac rarum aliquod ex illis in orbe pareret, ut genus omne deleteretur.

Historicis hisce exemplis alterius etiam generis argumenta accedunt, deducta è sacris auctoribus, apud quos sermo de animabus Replaim, in infernis criminum suorum penas dantibus. Job: 26, 5, meminit gigantum sub aquis gementium unâ cum illis, qui in infernis torquentur; in quam pariter sententiam concedentes profani (Homer. *Iliad.* 8; Hesiod. *Theogon.*) Titans describunt in imo Oceani, vel abyssis fundo ejuantes. Virgil. *Æneid.* 6, vers. 742:

..... Sub gurgite vasto

Infestum claudit scelus, aut exuritur igni.

Femine offrensis vias ad Replaim deducere monet Salomon, Proverb. 11, 18; addens, eos, qui infames illas viæ ductrices sequuntur, rectâ ad locum gigantum contendere, *ibid.* 9, 18. *Isaías* 14, 9, et *Ezechiel* 32, 19, 20, etc., Replaim exhibent in tenebris quibusdam locis, qui honoris gratiâ assurgentes venientibus gentium regibus obviam occurrunt; regibus, inquam, illis, qui cum viverent, longè lateque sui nominis terrorem intulerant; post mortem verò ad inferna unâ cum Replaim rapti sunt. Ambigat post hæc omnia, si quis vult; et gigantes an magno etiam numero floruerint, hæreat suspensus.

Antequam consona in eam rem Patrum testimonia afferamus, animadvertisse jurat, eorum plerisque imposuisse falsò inscriptum librum Enoch, asserentem gigantes ex commercio filiarum hominum cum angelis perduellibus natos. Ita verò rem narrat personatus ille scriptor: Anno mundi 1170 (1), *Vigiles* vel angeli mulieres duxerunt, unde nata tria filiorum, ac familiarum distincta genera, 1^o gigantes, quorum statura justam multum excedebat. 2^o E gigantibus nati Nephilim; 3^o è Nephilim Eloidi. Cum gigantum numerus crevisset, humanis carnisus vilitate exasperant; ex quo factum, ut homines numero in dies decrecentes clamarent ad Deum. Pronis ille auribus precatens auscultans, misit angelum Gabrielem

(1) Nempe 1071 ante diluvium, juxta supputationem Syncelli, componentis diluvium cum anno 2211.

mandatis oneratum, ut iret, exterminaret gigantes, nempe monstra illa ex angelis perduellibus nata; committeret illos inter se, quò mutua cæde deleterent. Adjecit autem: Gigantum animæ in demones transformabuntur, ex quibus mala omnia in mundum; nam ex illis obsecrations demouum, tormenta in homines, spectrorum territantia usque ad extremam judicii diem. Ex his fontibus derivata plerumque Patrum ferè omnium de gigantibus doctrina. Paulus Burgensis, vir clarissimus ex Judo Christianus, in cap. 6 Genes. autumnat, gigantes ipsissimos fuisse sub hominum specie demones.

Ex eodem libro Henoch accepta credo, quæ de concepto gigantum fetu narrat auctor Testamenti duodecim Patriarcharum. Hæc ille: Perduelles angeli mulieres depricientes, assumptâ virorum conjugum illarum, sed giganticâ specie, fortivum cum illis impetrarunt coitum, ex quo nati gigantes; gigantes enim formæ ludibrio mulierum plantasia affecta giganteum expressit fetum. Nulla per nos esto hujus fabellæ auctoritas; sed rectâ inde consecutione infertur, apud libellorum istorum proceriores assertam fuisse gigantum veritatem.

Patrum testimonia magno numero recitare supervacaneum ducimus; constat enim summo omnes assensu gigantes admisisse: si qui contra senserint, vel ambigua æ de re expresserunt, integrâ illos fide omnes supra retulimus. Jure tamen nostro omnes, qui contrariam nostræ opinioni sententiam totidem verbis non asseruerunt, pro nobis sumimus. Est enim, quam defendimus, causa una omnium seculorum et gentium opinio. Nobis proinde favet possessio; ab aggressoribus, si que habent, pro se documenta promenda sunt.

Petimus tantum nobis è Patribus illos, qui auctoritati rationes etiam pro suâ sententiâ junxerunt. Josephus, ex. g., quem pro sententiâ nobis adversâ laudant, documenta pro gigantibus afferit, narrans spectari in Hebron immania quedam hominis ossa. Tertullianus de Resurr. carnis, cap. 42, resurrectionem è residuis gigantum compagibus probat. *Nec gigantum antiquissima cadavera devorata constat, quorum crates adhuc vivunt.* Ex ejus narratione intelligere videmur, inventa ejus ætate ex his ossibus quedam, dum fundamenta Carthagine cœliferentur. S. Augustinus de Civit. lib. 15, c. 9, demonstrat, fuisse olim maximè ante diluvium immanes staturâ homines; quam in rem primò communem hominum persuasionem

æ de re afferit, laudans illud Virgillii *Æneid.* 12, de *Æneâ*, tante molis lapidem in Turnum ejaculanti, quamam vix ferrent 12 nostræ ætatis homines:

Vix illum lecti bis sex cervicæ subirent;
Quis nunc hominum producit corpora tellus,
Expressit hæc Virgilius ex Homero, *Iliad.* 5 et 12, quibus sanè probatur vetus omnium gentium persuasio. Addit S. Augustinus (1), nihil esse quod magis incredulas mentes revocet ad saniora, quam immania illa ossa, casu subinde vel è terrâ defossa, vel aquarum alluvione detecta, vel è tumulis casu aliquo post plura secula eruta. Vidi ego in littore maris Uticæ, ait ille, nec ydi solus, ingens quoddam hominis molare, quod centum vulgaria æquaret. Porrò molaria illa non uno in loco servantur, quod ceteris temporis minis sentiant injuriam, et cæteris omnibus resolutis ipsa maneat incorrupta.

Augustinus Torniculus, *Annal. veteris Test.* ann. mundi 987, n. 19, in ecclesiâ sui Ordinis Verrellis S. Christophoro dicatâ, vidisse se perhibet similis molis dentem, qui viri illius sancti haberetur. Torquemada se vidisse pariter asserit Loræ dentem alium; pugillam hominis strictum æquantem, et Asturgiæ partem maxillæ S. Christophori immanem adè; ut gigantes instar turris proceri intentibus crederetur. Os coxendicis S. Christophori Venetiis in ecclesiâ Cruciferorum servatum prodigiosæ est magnitudinis. Vestusta ejus sancti acta virum fuisse perhibet 12 cubitorum, vel 18 pedum altitudinis.

Ante paucos, quam hæc scriberet, annos contigisse narrat Antonius Sabellicus *Æneid.* 1, l. 1, ut cum in evellendâ procerâ quadam arbore ad navium constructionem insudarent fabri figurâ, casu invenirent calvariam hominis, doli magnitudine non minorem, quæ cum ab illis tractaretur, resoluta abiit in cineres, solis remanentibus dentium nonnullis, quos in varios Venetorum civis, inter cimetaria servandos, distriuerunt. Pugillo nihilo inferiori dentem S. Christophori spectasse se in Cathedrali Valentiniâ asserit Ludovicus Virves (in August. Civit. l. 15, c. 9), ejus urbis civis. Isaaci Pontanus in sua Danicorum rerum Historiâ, l. 1, meminit molaris crujstam Star-

(1) Nonnulla à Calmeto portentosa hæc et alibi narrantur, quorum fides haud planè constat. Plurima, hæc in se vera, falsa tamen sunt quoad interpretationem. Calmeti enim tempore, geologia non eò usque pervenerat, ut gigantes quilibet compages suo generi indubitanter adscriberetur.

coteri, viri Danici, duodecim digitorum ambitu.

D. Simonius, auctor Bibliæ Dictionarii v. *Gigantes*, refert, anno 1667, in prato quodam, in quo servandis rebus fossa eruebatur, inventum vetustissimum quoddam monumentum, cæmento probè obductum, in quo prodigiöse magnitudinis ossa, ut eorum unum septem pedes et tres digitos longitudinis referret, ambitu verò esset duorum pedum. Porrò os illud ipsissimum creditur, quod ex cubito ad scapulas porrigitur; post illud enim aliud sequebatur latissimum et planum: ossa cætera ad eò computruerant, ut integrum nullum remaneret, salvis tantum dentibus quibusdam, quorum singuli decem ad amissum librarum erant pondus. E dentibus hisce unus, cui inferior mandibulæ pars hæret, pondus refert 17 librarum. Ovalis est dens ille figura, longus quinque digitis et tribus latas. Dentes et ossa illa servantur in arce Molarde juxta vicum S. Valerii diocesis Viennensis in Delphinatu. Vidisse autem se affirmat Simonius dentes illos, cum paræciam S. Uza propè Molarum curaret, et testes laudat ejus rei præfectos Arcis Uza et Molarde, sicut et sacerdotem ejusdem Arcis Capellanum, qui authenticum eà de re instrumentum ad se transierunt anno 1699, die 24 januar.

Poetarum testimonium in re quidem facti nihil faciendum: valet autem plurimum, ut primores populorum traditiones et facta quædam historica, vetera illa et ignota, intelligentibus insinuet; quæ scilicet facta fœcatis pigmentis et fabularum coloribus ad genium poësis adumbrarunt poëta. Homerus de Ephialte et Orione filiis Iphimedie novennis pueris habet, crassiori fuisse novem cubitorum corporaturâ viros, staturâ verò ad 56 cubitos evasisse, Odys. 11, v. 310. Titius apud eundem, ibid. 2, v. 575, in terram prostratus novem terræ jugera occupabat. Fama erat apud Græcos, frequentasse gigantes agros Phlegreos, et urbem Pellenem (Vid. Apollodor. Biblioth. lib. 1, cap. 6, viribus autem suis ad eò fisis, ut avulsis rupes et proceras incensasque arbores in cælum ejacularent; erant autem corporaturâ enormes, crinibus et barbâ promissis, inferius angues.

Agelat in Siciliâ Typhon filius Terræ et Tartari, vir celsissima montium cacumina proceritate suâ excedens, cælum tangens vertice, et utraq; manu extremos orientis et occidentis fines jungens; in superioribus vir, in inferioribus anguis. Poëtica sunt hæc, et in majus

aucta figmentis; sed vera est antiquitatis persuasio: si enim nunquam fuisse gigantes teneant, quomodo in mentem venissent homines arma inferentes in cælum, quomodo cyclopes Siculi, quomodo Typhonis adversus deos prælia?

His omnibus argumentum præbuit Scripturæ narratio de audacibus gigantum antediluvianorum cæptis, qui nempe audaci suâ et criminibus arma in cælum ipsum inferre visi sunt. Est autem maximè animadvertendum, agi apud poetas de gigantibus, non raris illis et casu natis, sed de gigantum nationibus, hominum genere staturâ proceris, quos nonnisi gravis deorum et florum Dei manus opprimere valisset.

Phlegon Adriani libertus, de Rebus mirabilibus c. 12, ex Apollonio, meminit in eluvione quædam apud Messeniam in Peloponneso contigisse, ut lapideum quoddam monumentum detegeretur, quod fractum calvariam exhibuit hominis triplo quàm vulgaris crassioris, cum inscriptione græcâ nominis *Iæus*, unde conjecturâ deductâ, caput illud fuisse Iæi viri inelyti, et inter gigantes strenuissimæ, ab Apolline, quem ad singulare certamen provocavit, interempti juxta Homerum, Iliad. 9, v. 554. Addit insuper Phlegon, ibid., apud Dalmas in antro Diane mira quædam ossa spectari cum costis 16 ulnis longioribus.

Refert etiam cap. 17, sub Tiberio in vehementi terræ succensione montis ingenti portione divulsâ, luci expositas fuisse plures humanorum ossium compages ingentis magnitudinis. Locis incolæ stupentes hærentesque tangere cadavera non sunt ausi, sed unius tantum dentem avulsam tulerunt ad imperatorem, ut ex ejus magnitudine argumentum faceret de reliquo. Tiberius religione quædam absterrens, herois, cujus pars erat, oblatum sibi molare tangere non sustinuit; ne verò aspiciendi gigantis voluptate sese privaret, adhibito doctissimo mathematico, sibi pro datâ proportione curavit circumscribi virum, cujus tanta molis dens pars habebatur. Thomas Fajzelli historicus Siculus alia plura congerit exempla de cadaveribus gigantum in eâ regione subinde effossis. Anno 1516, detectum in agro Mazare corpus 20 cubitis procerum, cujus calvaria modum æquabat; dens, quem ipse apud se servabat, 5 unciis par erat. Ex quo confirmatur veterum illa traditio de natione *Cycloponum* ab ipsâ origine Siciliam tenente.

Sui erant olim in Ægypto gigantes, sui in

Æthiopiâ, Arabiâ et Palestinâ, regionibus Ægypto finitimis. Locum esse in Ægypto. *Litres* appellat, ubi similia, ac in Siciliâ, cadaverum monstra reperiuntur, asserit Phlegon loc. cit. c. 15. Ossa neque sub terrâ latent, neque eorum compages turbatæ; exposita omnia intuentibus, singula corporis ossa aptam servantia œconomiam distinguuntur, brachia, crura, et cætera itidem membra. Mentio est in lib. Paralipomenon, cap. 11, v. 23, gigantibus Ægypti 5 cubitorum, nempe 3 pedum, 6 digitorum et semis. Tantum virum interemit Baniâs, miles in exercitu Davidis fortissimus. Miræ magnitudinis status spectari apud eodem Ægyptos tradit Herodotus lib. 2, utriusque sexus homines exprimentes; describit ille simulacra pellicum regis Mycerini in urbe Sai; avorum Ilocathæi, cum longo colossali staturarum sacerdotalium satellitiis in urbe Thebarum. Colossales item statuas exhibebantur in vestibulis templorum Apidis, Minervæ, et Vulcani, quarum alias 20, alias 70 pedum altitudinis describit Herodotus. Porrò scitum est, Ægyptios defunctorum suorum figuras in ipso eorum feretro ad staturæ mensuram fabricato expressisse.

Celarenorum (Gallorum erant genus, brunniores regiones frigidis algore inhabitabiles tenentium) nihil se admiratos procerâ licet cadavera testator Pausanias, Attic. p. 66, quod scilicet Ægyptia non excederent. De Sirbotis Æthiopiæ populis narrat Plinius lib. 6 et 7, homines fuisse 8 cubitis altos, nempe 12 pedibus, si cubitus 13 digitis computetur. De Gange rege Æthiopiæ, viro 10 cubitis immani, sermo est in historiâ; sermo item de *Gobaro* gigante 9 pedum et 9 digitorum, ex Arabiâ Romam deducto sub Claudio.

Quid ferant de Africanorum gigantum ossibus Tertullianus et S. Augustinus, supra jam animadvertimus. Cum eam regionem teneret Sertorius juxta urbem Tingitanam, quo loco recepta populorum traditio tenebat, Antæum filium Neptuni juxta nonnullos, vel filium Terræ juxta alios, sepulture mandatum fuisse, spectavit ingentis molis sepulcrum, in quo gigantibus ossa recondi ferebantur. Creditum difficile id videbat Sertorio; quare aperto monumento spectavit gigantem 60 pedibus immanem. Actutum imperator Antæo hostis stavit; tum et recondi iterum corpus præcepit, religione absterrens ne ossa ejus contingeret. Hæc Plutarchus in Sertorio. Ferunt etiam (vide Ennachum apud Phlegontem, c. 13

Mirabilium), Carthaginienses, dum terram effoderent, duo reperisse sarcophaga, aliud 21, aliud 25 cubitis proceræ.

Refert Hieronymus Magius, Miscellan. c. 4, ex relatione Melchioris Guilandini, dum captivus Guilandinus ipse in Africa detinebatur, anno 1539, duos captivos hispanos terram effodiendo juxta urbem Jenexæ, olim Juliam Casaream, miræ proceritatis gigantem effodisse, avulsamque ejus calvariam duobus vectibus impositam, vix tanto ponderi ferendo pares, ad regem Assanum Arialemum, tanquam rem miram et novam retulisse. Ejus calvaria magnitudinem Guilandinus ipse cum reliquo populo spectavit, asserens 11 pedum ambitum, vel 14 gylthanorum (mensura est 12 digitorum) occupasse. Princeps ille barbarus, cujus nullus antiquitatis sapor, pro eo quod expectatam libertatem captivus illis donaret, vix 5 aurea scuta largitus est. Asseruerunt illi Guilandino, reliqua cadaveris ossa in eodem loco superfuisse, ex quo calvariam eduxerant.

Per ingentem ejusdem montis bitum patuisse cadaver 46 cubitorum refert Plinius, lib. 7, c. 20, quem alii Orionis, alii *Oai* suspicant sunt. Est autem Orion vir ille gigas frater Ephialtis, qui novennis adhuc puer crasso erat 9 cubitorum et 56 altitudinis corpore. Hæc in insulâ Crete.

In bello Cretensium cum Romanis, ingenti aquarum alluvione corrosâ terræ superficie, inter latentia plurima revelatum est etiam corpus gigantibus 55 cubitorum, cujus rei supra fidem testes oculati fuerunt Metellus et L. Flaccus. Quamquam hæc historia Solia, c. 1, ipsissima videtur ac Plinii illa supra relata, cum tamen varie sint apud Solinum omisse à Plinio circumstantiâ, locum fecerunt conjecturæ D. Salaasii autumantis, Solinum tantum aliqui Plinium breviter asserunt aliunde tamen rei illius notitiam habuisse.

Gigantum quoque ossa spectanda in insulâ Rhodo, ac Italiâ. Rerum potentie Henrico II imperatore filio Conrad, anno 1041, inventum non longè cadaver ad urbem Romam translatum est, cujus tanta erat proceritas, ut cretum ab imis ad summam usque meningem laicam emineret (vid. Jac. Phil. Bergon. Suppl. Chronic. lib. 3, non. 1041). Pallantem filium Evandri à Turno occisum suspicant sunt; vulnus adhuc patebat quatuor pedibus latum. Minoris fidei aliud narrat Boccacius. Drepani in Siculis inter effodienda edificii fundamenta cæcum vastumque antum revelatum est, quò

incensam preferentes facem fossore illi ingressi in cadaver hominis inciderunt, de cuius immensa propemodum magnitudine conjecturam inde capere licet, quod trabem velut navis antenam pro scipione haberet in manu. Tanti immanitas monstrum primò terrorem iniecit fossoribus, coegitque è loco sese proripere; sed animis iterum confirmati et armatorum hominum manu stipati redierunt; at gigas vix tactus abiit in cineres. Plumbum juxta scipionem sive lanceam viri positum pondus superabat 4500 librarum. Ossa integra erant; et calvaria tanta erat capacitas, ut modica tritici commodè plura continuisset: reliqua ossa capituli respondebant; dentes singuli 9 librarum pondus. Polyphemus, Homero et Virgilio celebris, gigas reputatus est. Paulò ante captam à Gothis Romam, femina quaedam et utriusque ejus parentes, staturà multò quàm vulgaris hominum superiores, ad sui spectaculum undique ad eam urbem homines acciebant, teste S. Augustino de Civit. lib. 45, cap. 25.

Trojanam obsidionem urgentes Græci viros habebant in exercitu multò quàm reliquos omnes nostræ ætatis homines, etiàm proceros, staturà majores. Decem cubitis alios heroes illos fuisse perhibet Philostratus de Vita Apollonio lib. 2, c. 21, et lib. 4, c. 16. Eodem teste, Achilles spectandum se præbens per visum Apollonio Tyanæo, spectrum exhibuit primò 5 cubitorum, quod sensim ad 10 vel 12 excrevit. Agit ille pariter de Ajacis cadavere, cujus sepulcrum juxta mare positum reducentes arenam fluctus detexerunt: inventum est in illo cadaver 11 cubitis, vel 16 pedibus et semis procerum. Adrianus imperator rudera Troje inspecturus veniens ossa illa restauratum in sepulcrum recondi imperavit. Viri Mysii relatione tenere se narrat Pausanias, Attic. p. 66, 67, ejus herois tumulum, quàm mare respicit, adita faciem esse; inde verò argumentum de viri staturà capiendum, quòd genuum vertebrae seu mole: atletici disci instar essent.

Orestis cadaver Tegeæ à Lacedæmonibus inventum, 7 cubitos, vel 10 pedes, et semis æquabat (vid. Herod. lib. 4, cap. 68, et Philost. cap. 4, num. 2). In Sigeo promontorio antrum pariter detectum est, in quo gigas 20 cubitos excedens; quod ante 50 annos contigisse scribit idem Philostratus, Heroic. cap. 1, n. 5. Meminit etiàm gigantis, cujus cadaver quidam è necessariis suis in insulâ Coo ante quatuor annos è latebris excusserat. Jacebat in antro quodam inter medias vineas, viri mensura 12

cubitorum; anguis in calvariâ latebat. Cùm idem Philostratus ad insulam Lemnos venisset, spectavit ossa gigantis à Meneerato quodam detecta, ex quibus, dissolutâ licet compage, conjecturam capere licebat hominis maxime proceri: et calvaria tanta erat capacitas, ut duas Cretenses amphoras superaret. Porrò amphora Romanorum æquabat 28 circiter pintas parisienses, seu 48 sextaria romana. An Cretensis major esset, minorve, ignoro.

Plura hujus rei exempla congerit idem Philostratus in suo illo opere de Rebus heroicis; meminit inter cæteros Protesilæi, qui 20 annorum ætatem agens 10 cubitos æquabat; meminit ejusdem fermè mensuræ plurium inter celebratissimos Græcorum heroes. Pausanias, scriptor sine controversiâ et exactior et correctior Philostrato, mentionem habet cadaverum gigantum per totam Græciam et alibi etiàm; uti Asterii sepulturæ mandati in insulâ Asterii è regione Miletî, cujus erat cadaver 10 cubitorum, vel 13 pedum (vid. Attic. p. 66, 67). Sermo apud illum pariter est de gigante in Lydiâ superiori juxta parvam urbem, quæ Temeni porta dicebatur, cujus inventa ossa tantæ erant magnitudinis, ut nunquam humana haberentur, nisi figuram referrent ab animantibus cæteris, præterquam ab humanis, abhorrentem. Geryonis cadaver primò creditum; sed alterius visum est Pausaniæ; quippe quòd Geryon in vivis egisset circa fretum Gæditanum, nec in Lydiâ diem clausisse unquam auditum. Quare viris emunctæ naris credita fuerunt reliquæ Hylli filii Herculis.

Cùm in Syriâ imperator aliò divertente Orontem tentasset, in arenâ ejus fluminis alveo gigas detectus (1) undecim cubitorum; hunc alii Orontem, alii Aryadem autumnarunt. Indum quendam declaravit Apollinis oraculum. Reconditum cadaver illud in urnâ figlinâ undecim cubitorum. Monstratur hodiè usque in Antiarado monumentum 20 pedum; gemina in vicinîis Damasci, alterum 50, alterum 20 pedum; priori illo 160 palmos, seu 80 cubitos assignat Gonjon. Credulis itinerantibus persuadetur, amplius illud sepulcrum esse Abelis, brevius aliud Josue. Vidisse se Damasci costam hominis prodigioso magnitudinis testatur Benjamin Tudelensis, nec similime alibi desunt.

Monitionibus vallare insulam (fortè Æginam) non longè ab urbe suâ Athenienses aggressi.

(1) Pausan. lib. 8, sen Arcadie, pag. 505; Philostratus Heroic. cap. 4, num. 2, æquasse cadaver illud asserit 30 cubitos.

cùm tendens fundamentis terram effoderunt, inciderunt in monumentum 100 cubitorum, recondens non imparis staturæ cadaver. Ex inscripto epitaphio constabat, viri nomen fuisse Macrochim: vitam autem produxisse ad 5000 annos. Sed nisi mendum in textum irrepisset suspicemus, credulitati profectò hujus scriptoris, quâ in tumali mensurâ, quâ in ætate viri, impositum est.

Sub Anastasio imperatore plura gigantum ossa Constantinopoli inventa, et in æternum monumentum à principe in aula servari jussa, Glycas est auctor in Annal. p. 4. Hercules victi Geryonis ossa Olympiam misit, æternum certaminum suorum et victoriarum monumentum.

Porus Indiarum rex ab Alexandro Magno victus, vir fuisse narratur 7 pedibus et semis procerus, et cùm elephantem ascenderet, ad immanem belluam ea fuit viri proportio, quæ cæterorum ad equos, Plutarch. in Alexand. Porrò 5 et semis cubitorum viri non infrequentes sunt apud Indos. De gigantibus brumales regiones olim tenentibus, quorum etiàm nunc ossa et sepulera spectantur, legas in historiis eorum populorum.

Theopompus Sinopeus in suo opere de terræ Motibus refert, in validâ terræ successione disiectum quendam collem latentia intra viscera sua exposuisse gigantis ossa, quæ simul composita exhibuerunt hominem 24 cubitorum. Narrat Florus (1), Teutonum regem gentium ejus nominis et Cimbrorum, cùm ad triumphum Romam duceretur, proceritate suâ insigne intuentibus spectaculum exhibuisse; super ipsa enim tropæa eminebat. Narrant alii interrisse virum è vulneribus in pugna relatis (vid. Oros. lib. 5, c. 16); cujus inventum in Delphiatu cadaver, expositumque, undique spectatores proceritate suâ invitabat (2).

Asserunt anno 785, inventam apud Bohemos calvariam hominis tanti ponderis, cui nec duo homines ferendæ sufficiebant; crura verò ad 26 pedes porrigebantur. Insignis ille medicus Felix Platensis, in suis Animadversionibus detecta testatur Lucernæ miræ magnitudinis ossa, ex quibus si reliqui corporis apta commensuratio faciendâ esset, non minis quàm 19

(1) Lib. 2, cap. 11: « Insigne spectaculum fuit; quippe vir proceritatis eximie super tropæa ipsa eminebat. »

(2) Hic luse narrat Calmetas Trutobochi regis historiam quam, utpote recentibus geologie progressibus repugnantem, suppressimus.

pedum gigas assurgeret. De gigante Ferrago à Rolando Caroli Magni nepote interfecto, memorie proditum est, 12 cubitos vel 50 staturæ pedes æquasse. In S. Capellâ Bituricensi os quoddam cruris monstratur, magnitudine portentosa stupendum. Sepulcrum 50 pedum, gigantis creditum, spectatur Parisiâ ad Nostræ Domine. Hominem quindecim pedibus procerum vidisse se apud D. Nivernensem asserit D. Habicot. Oblatum Gronano hominem tribus pedibus majorem, narrat in historiâ Gallorum Aimoinus. Carolum Magnum æquasse 9 pedes altitudinis, concors est plurimum asserit. Sub Ludovico XI, è regione Valentie in Delphinatu detecta in torrente, quo vicus S. Perat alinitur, ossa gigantis, staturâ, quantum ex ossium illorum proportione, 18 pedum circiter; sicut feminam giganteæ staturæ, cui nomen Garsenda, in Forcalquier sub S. Ludovico memoratur.

Immania quædam ossa monstrantur Taurini. In valedinaro Mediolanensi viri quidam junior staturâ erat procerior, quàm ut alendo immani illi corpori natura sufficere posset; duo juncta in longum cubilia viro substernebantur. Hanc sui temporis historiam refert Julius Scaliger de Subtilit. exercit. 26. Asserit Torquemada hexametris die 4, sub Julio III, virum in Calabriâ immanem corpore ad sui spectaculum mundum universum invitasse. Illum Romam accivit pontifex; sed ferendo nullus par equus inventus, plastro impositus crura, quod planstrum ipsum superarent, pendula gerebat exteriori. Ad urbem ut pervenit, omnes affecit stupore, quòd proceriores etiàm homines supra medium pectus non haberet.

Saxo Grammaticus Poem. p. 4, demonstrare nititur, Danicæ regiones olim vel tenuisse gigantes, vel saltem frequentes in illis versatos; quod ipsi quidem probatur ex immanissimorum lapidum monumentis, quorum alia cavernis, alia sepulcris veterum Danorum imposita spectantur. Gigantis dentes et ossa immensæ magnitudinis detecta anno 1520 apud Scotos narrat Hector Boetius Hist. lib. II. In cimeliario regis Sueciæ videas tibiam viri 25 librarum pondus, defossam Burgis apud Belgas anno 1645. Pertinet modò ad Othonem Sperlingium. Sermo est etiàm in eodem libro de rege quodam Norvegiæ, defuncto anno 955 pedibus 14 procero; de Evindo quodam in vivis agente circa ann. 1538, qui 15 ulnas Norvegiæ æquabat. Propè Bircherodum humanum

cadaver multo quam cetera procerius detectum est anno 1695.

D. du Mont narrat in itinere, quo tempore Græciam ipse discurrebat, inventum Thessalonice os quoddam gigantis, qui, juxta chirurgorum ejus regionis supputationem, 20 pedes assurrexisset. In expeditione Xerxis in Græciam, gigas Artachorus 5 regis cubitis, nempe 7 pedibus et semis immanis, terrorem regis adversariis faciebat. De gigante in Syriâ 5 cubitorum et palmi, meminit sub Theodosio Nicephorus. Surgubat Andronicus Comnenus 17 pedibus, teste Nicetâ; sicut et 15 pedibus ostiarii urbis Pechinensis, si fides sit Melchiori Nuegæ Jesuitæ. Feminam 10 pedum spectasse se Antwerpæ tradit Coropius medicus Germanus, qui scriptis libris gigantes negavit.

Visti tandem in Americâ gigantes, qui vulgaris statura homines genibus habebant æquales. Hos viros, quorum ossa et opera modò etiam in Peruaniis regionibus spectantur, igne cœlitus in se scelerum meritò provocato assumptis, recepta apud incolas traditio fert; cui gemina jungitur similis apud Mexicanos et Brasilienses fama, apud quos simillima pariter ossium portenta. Satis hæc è multis ad asserendum gigantum veritatem.

Suam de gigantibus Meditationem exponens D. abbas Tilladet anno 1701, defendendum aggreditur, non gigantes tantum in mundo paruisse, sed et integras gigantum urbes ac nationes, quin et gigantibus accensendos primos illos gentium parentes, coloniarum doctores; utrosque pariter gigantum parentes gigantes fuisse, ut Adam, ex quo Abel gigas, Cain, Seth, et priores saltem illorum posteros. Quomodò arcam fabricasset Noe tot animantium generibus continendis aptam, nisi expressi in Scripturâ cubiti ædificium illud medientes gigantum fuissent? Anne præter gigantes alius quispiam turrim Babelicam, tantum opus moliri valuisset? Adhuc, homines illos, quò staturâ proceriores essent, eò pariter et vitam egisse diuturniorem radicali illo et vitali humore magis abundante, quò in ampliora corporis vasa reciperetur.

Vitam autem ad plura secula prorogandam valuisse plurimum antumat cum terræ fecunditate optimiore alimentorum succum, quo in naturâ senio paulatim cum fecunditate deficiente, sensim et de vite diuturnitate remitti ceptum est. Ad gigantes spectabant Nemrod, Assyrii imperii primus auctor, sicut et ducto-

res coloniarum Amorrhæorum, et Enacim, quorum gigantes posteritas diutius in regionem cis et trans amnem. Inter gigantes pariter suum habuisse locum credendū sunt Virginicæ et Magellanicæ regionis primi parentes, quòd hodiè usque earum regionum incolæ robore et corporis staturâ plurimum valeant. Hæc D. abbas Tilladet.

Post hæc omnia nihil ultra credimus ambigendum fuisse reipsâ, nec infrequentes per omnes terræ regiones gigantes, integras è gigantibus constituisse nationes; gigantibus, inquam, quorum erat statura duplo, quam vulgaris hominum, procerior. Horum autem si nullum velspecimen extat nostrâ ætate, id partim tribuendum divinæ numinis ultioni, qui tot criminum et scelerum monstra solo tantum nomine in mundo superesse toleravit; partim verò hominum cautioni, qui, inito omnium gentium fœdere, exterminandis perniciosissimis humani generis adversariis arma intulerunt.

Quò autem objecta in contrarium omnia ordine refutamus, reponendum est 1^o: Quæ de gigantibus narrat Scriptura, multum illa à poetarum commentis abhorret, quantum scilicet veritas à mendacio, et à fabulâ historia. Quare, si Patres aliquando, alios fuisse docent poetarum, alios Moysis gigantes, non nisi è mediâ veritate doctrinam hanc suam promiserunt. Cave cum poetis credas, tanto corporis robore valuisse gigantes, ut montes montibus superstruerent, scopulos, insulas, flammatas procerasque arbores in cœlum ejectionarent; centum illos manibus instructos, superiora hominis, inferiora anguis habuisse. Poetica sunt hæc, et in majus aucta commenta, quemadmodum et ea, quæ de Polyphemo, Cyclopiibus ac gigantibus fabulatur Homerus. Nihil tale in Scripturâ: ad poetas quod attinet, nihil ad nos.

2^o Quicumque in eâ sunt persuasio, gigantes et Cyclopes fœta pluribus ideis phantasiâ accepto referendos, quorum nihil tale in rerum naturâ, dissita hæc omnia in se concilians, extiterit unquam; vel qui gigantum omnia eorumque adversus deos prælia ad moralem et physicam quandam interpretationem delictunt; illi, inquam, nos habent dictis suis reponentes, nihil morari nos poetarum commenta, è gigantibus et Centauris monstrosa quedam portenta, nunquam in rerum naturâ spectanda, effingentium. Eorum tantum asserimus veritatem, quæ in sacris libris de gigan-

tibus feruntur, nimirum extitisse olim magno numero gigantes, homines illos nihil à reliquis nisi staturâ corporis discrepantes; bellum autem in Deum non armis, sed criminibus ac sceleribus movisse.

3^o Quod dicunt nunquam fieri posse, ut gigantes in rerum naturâ nascantur, cum in rebus omnibus Deus ejusdem naturæ auctor certos præstiterit limites, quos prætergredi nihil unquam possit, repugnat id rei ipsius evidentie. Constat enim fuisse olim homines justam cæterorum staturam multò excedentes; sicut et infra vulgarem staturam plures, quos pumiliones appellamus, quotidie nascuntur. Si verò aliqui procerunt in mundo gigantes, cur non et plures potuerint? Nec tamen in eâ sumus sententiâ, primos homines universos, sicut et omnes veteres Palestinos et Siculos, gigantes fuisse. Frequentes erant quidem gigantes apud illos, erant familia, quin et gentes integræ, quemadmodum nostrâ etiam ætate spectamus, ut populorum aliqua natio cæteras proceritate superet.

Fatemur quidem, frigoris, calor, aridi et humidi certam in naturâ mensuram non facile permittere, ut omnes ubique homines, bruta, plantæ ad majorem justo mensuram excrecant; sicut et infra plus multò demittantur, quam plerumque videmus. Nihil tamen prohibet, quominus in aliquibus orbis regionibus quedam ex illis ad staturam multò supra vulgarem proceriorem pertingant; sicut et contingere quandoque spectamus, ut ferax sit hominum, brutorum et plantarum alicujus generis certa aliqua regio, quæ frustra in aliâ quaeruntur; ac generis alicujus animantia post certum quoddam temporis spatium ita præscriptis sibi leges pervertant, ut multò deinde minora, quam antea fuerint, nascantur. Hæc omnium seculorum experientiâ certissimâ aperit satis demonstrant, potuisse in certis quibusdam locis gigantes spectari, qui multò quam cæteri homines ubique locorum staturâ essent proceriores. Quæ prima ex Europâ in Americam translata sunt semina et plantæ, in proceras adeo arbores et plantas excreverunt, ut nihil tale in Europâ. Mures ipsi et bruta cætera multum vulgarem excesserunt corporis molem. Ut quid igitur prima illa secula in terræ juventâ, cum scilicet succo abundaret, et plantæ essent ad nutriendum aptiores, purior in venis hominum sanguis, succulentissima alimenta; ut quid, inquam, non major esset hominum quorundam statura, majus cor-

poris robur, sanitas major, vita diuturnior?

4^o At enim natura nunquam produxisse gigantes credenda est, cum hodiè, etsi multum enitatur, nunquam ad producendos illos saltem majori numero evadet. Sed nec ea, quæ hodiè est, natura hominum vitam ad 8 vel 9 secula prorogare potest, quemadmodum in orbis juvenlâ reipsâ prorogavit. Nunquam pariter natura totis in unum collatis viribus lupos in Angliâ, venenosos serpentes in insulâ Melitæ, hippopotamum in Ægypto producet; nunquamne ergo in iisdem regionibus paria gigare valuit? Nequit in hoc horto certum hunc fructum, hunc florem emittere; nunquamne ergo emisit? Si natura aliquid modò in certis aliquibus locis non valet, hæc sanè non defectui in naturâ virtutis ascribenda sunt, sed naturalibus ad propaganda rerum genera instrumentis destituta est, omnibus ejus generis exterminatis. Ita pariter de gigantibus reputandum. Revocet quis ad vitam veteres Palestinæ et Siciliæ gigantes, statimque gigantum ipsa propagatio reparabitur. Qui verò staturam hominis 7 pedibus majorem non agnoscent, quippe quòd Hercules eam non excederet, coguntur illi tamen fateri spectatos Romæ gigantes herculæ staturâ multò superiores. Ad hæc, Herculem 7 staturâ pedes attigisse, inter veteres scriptores non convenit. Apollodorus 4 cubitos vel 6 pedes viro tribuit in Biblioth. lib. 2, cap. 5.

5^o Quicumque decrescere in dies homines habent persuasum, opinionem illi tuentur rationibus destitutam; quæ tamen gigantibus potius asserendis quam evertendis valeat.

6^o Inter eos, qui reipsâ gigantes olim in mundo spectatos voluit, nemo planè asserit, gigantem illam staturam maximè naturalem hominum fuisse, illud tantummodò reputantes, nihil habere illam naturæ repugnans, nihil absonum universi elegantie, cæterisque rerum dotibus. Nullum esse dicunt inconveniens, si gigantes, possibiles aliqui, admittantur; uno verbo, magno numero gigantes olim in mundo spectatos, quorum frequentia id efficeret, ut non monstra haberentur, sed certa hominum genera. Quæcumque contra aliam à nostrâ sententiâ obijciuntur, nihil ad nos.

7^o Eorum error, qui persuasum habuerunt, gigantes ex angelorum perduellum cum filiabus hominum connubio prodidisse, extitisse olim gigantes invictè probat. Testimonium de receptâ apud populos de gigantibus traditione

admittimus, rejicimus errorem. Quin nec ipsa pariter traditio tam vetus, longè latèque propagata et constans, ineluctabile esset argumentum, nisi cum Scripturis vetustisque omnium seculorum historiis assertæ fidei cohereret.

8° Si tandem natura ludens interdum quedam in terræ sinu produxit, humanis ossibus, calvaria, tibia, ossibusque cæteris non absimilia, nunquam tamen, ob deveniet, ut integras ossium humani corporis compages naturalibus simillimas elingat: quin et illi naturæ usus argumentum sui nunquam non præbent,

sive majori, quam par est, rotunditate, sive figura; sive proportionum, sive, ut plurimum, soliditatis discrepantiâ. Sunt enim fossilia colore dilutiora, quippe quæ ad terrestrem magis, ubi concreverunt, accedunt. Et solidâ materiâ compacta sunt, non intus inania, ut hominum ossa. Nec impossibile credimus, ut elephantum et ceti alienius ossa pro gigantibus obtrusa sint; sed constat equidem et genuinâ quedam gigantum ossa aliquibus in locis spectari, non incertam de gigantum veritate documentum.

IN PROPHETIAM MOYSIS, DE PROPHETA A DEO PROMISSO, Dissertatio.

Prophetam..... sicut me.... (Deut. XVIII, 18.)

Moyse, in concione quam ad filios Israel habuit, mediis in campis Moab, vitâ jam exiens, supremo anno quo in deserto commorati sunt, quadragesimo post exitum de Ægypto, aliquid maximi ponderis eis pollicetur, rectissimèque quid valeret verbum ejus intellexerat omnis natio ante adimpletum eventum; deinceps sensus promissi in dubium revocatus est primò à Judæis, qui hoc in Jesu Christo consummatum fuisse abnuunt; dein à quibusdam etiam Christianis, qui, etsi non isdem præjudiciis imbuti, tamen de eâ re eadem ac Judæi perspexerunt. Ad veram hujus promissi significationem oppugnandam, in præcedentibus et sequentibus illud arma quasivère. Ut ergo sanè de eo judicaret, non tantum in se ipso promissum considerandum est, sed et videre est quid illud circumdederit, quid ad illud quoquo modo sese referat. Ab ortu ipsamet afferamus verba quibus includitur, incipientes à primis qui illud præcedunt versiculis, et usque ad extremos sequentes, qui cum illo aliquid relationis habere possunt. Ilac comprehendit caput decimum octavum Deuteronomii, ex versiculo nono ad finem capituli:

Quando egressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, ait Moyses, cave ne imitari

relis abominaciones, illarum gentium. Nec inveniatur in te qui lustrat filium suum aut filiam, ducen per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus; nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos audiant; tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. PROPHETAM de gente tua et de fratribus tuis... SICUT ME, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hanc maximum amplius non videbo, ne moriar: et ait Dominus mihi: Veni omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad illos omnia que præcepero illi: qui autem verba ejus, que loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem qui arrogantia depræcatus volucit loqui in nomine meo, que ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quod si tacitè cogi-

tatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non locutus est? Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenierit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confaxit: et idcirco non timebis eum.

Quæ sequuntur ad omnino diversa pertinent: hæc ergo sese certo modo referunt ad promissum concionis Moysi, et possunt ad tria puncta reduci: Deus præcipit populo suo ne augures gentiliū audiat; Prophetam promittit quem ab eo audiri jubet; illum præmunit adversus pseudopphetas qui de medio ejus exurgere possunt. Consideremus primò quid proprie et naturaliter significet promissum; deinde contestantium objectis respondebimus.

Ut rectè intelligatur quid sonet hoc promissum, in mentem revocandum est quid Deus Mosi dixerat, quum Maria, ejus soror, Aaronque frater murmura suscitaverunt. Maria Aaronque dicebant: Num per solam Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus, accessit illos ad tabernaculum cum Mose, et vocatis Aaron et Mariâ, dixit eis: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo illi, vel per somnium loquar ad illum. At non talis est seruus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est; ore enim ad os loquitur ei, et palam, et non per ænigmata et figuras; Dominum videt. Moyses ergo propheta ordinis summopere egregii habetur, quumque Dominus populo suo similem Mosi pollicetur prophetam, prophetam, inquit, sicut me, majorem omnibus aliis prophetam promittit. Hunc sensum omnis secuta est natio, et ex hoc tempore perseverantissimè hunc magnum Prophetam expectat. Illud clarissimè innotescit ex narratione sanctorum Evangelistarum, et ex libris actuum Apostolorum.

Qui quidem, apparente Joanne Baptistâ, miserant Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu, quis es? Et confessus est quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quis ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. PROPHETA es tu? subjecerunt. Vox latine: Propheta es tu? aliquid sonat æquivoecum, ex quâ ambiguitate quidam gallicè interpretaverunt: Êtes-vous prophète? Sed non hoc modo claudicat vox græca, quæ sine ambiguitate dicit: ὁ προφητὴς εἶ σὺ; gallicè: Êtes-vous le prophète? propheta ille qui promissus est nobis; ille quem expectamus propheta?— Et respondit: Non. Et adhuc interrogaverunt

eum: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, nec Moyses, nec PROPHETA? Latino sermone redit vox æquivaoca jam citata, ex quo malè accidit isdem interpretibus ut vulgari verbo dicerent: Si vous n'êtes ni le Christ, ni Elie, ni prophète: sed expressè et accuratè græca vox indicat: Nec Christus, nec Elias, nec qui est propheta; ὁ εἶς προφητῶν. Hæc interpretatio modo verbis magis adhuc expressis firmabitur.

Quum populus, splendidibus Jesu Christi miraculis allectus, illum sequeretur, Salvator mundi, circumspexit maximâ turbâ, usque ad quinque millia hominum, in eorum gratiam quinque pisces et duos panes multiplicavit, ita ut saturaverit eos, et impleverit duodecim coplinos fragmentis panis relictis. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat Jesus signum, exclamabant: Quia ille est verus Propheta qui venturus est in mundum. Nihil hic est acceps tum in græco, tum in latino, tum in gallico sermone. Ille est verè propheta qui venturus est in mundum. Expectabatur ergo usque ad hoc tempus ille magnus Propheta quem Moyses promiserat; nullus ex prophetis, Moyses successoribus; gentis expectationem sustinuerat, quia nullus cum Moysè conferri par erat. Sed quum visus est Jesus Christus, signis omnibus aliis superior prophetis, Mosi non impar, intellectum fuit adesse illum promissum et expectatum Prophetam. Ille est verè Propheta qui venturus est in mundum.

Postquàm ascendisset Jesus Christus in caelum, sanctus Petrus, Spiritu sancto afflatus, annuntians Judæis divini Salvatoris gloriam, fideique in eum prædicans, prophetam Moysi his verbis eorum in memoriam revocat: Moyses dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis: quicumque ipsum non audierit, exterminetur à medio populi. Qui identidem propheta à Samuele apparuerunt, omnes quod nostris diebus eventi prædixerunt. In his ergo diebus adimpleta est hic reproducta promissio; Jesus Christus ergo ille est Propheta à Moysè promissus, qui est sicut Moyses.

Sanctus Stephanus, pariter Spiritu sancto plenus, eodem modo hoc promissum interpretabatur, quum Judæos allocutus hortatusque ut crederent in Jesum Christum, gesta dicta que Moyses recolligens, hæc dixit: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis. Gens tota hunc Prophetam expectabat, signisque præfulgentibus Jesu Christi populus percussus, inceperat ipsum